


CAROLI V. IMPERATORIS, CUSUS

susceptâ expeditione contra Franciscum I. Galliarum Regem: Mediolani Ducatum, mortuo Sfortiâ, affectantem. Anno Christi

1536.



Ranciscus Galliæ Rex, quod mortuo Francisco Sfortiâ missis ad Cæsarem legatis, petitiâque Ducatus Mediolanensis (quem litera M. in numo significat) restitutione, pro voto responsum non obtinuisset, odio ac invidiâ indies crescentis potentiæ Cæsaris concitatus, coepias undique ingentes ruptâ pace cogit, eisque Philippum Chabotium, Franciæ Ammiralem præficit: jubens; Avunculum

Carolum Sabaudia Ducem dititione pellat: prætextu quasito, se maternæ hæreditatis portionem, cum æquis conditionibus non posset, vi armisque obtenturum. Sabaudius jam antea debilitatus, & impar hosti tam valido, brevi tempore totis ferè finibus ejectus fuit. Rex enim superatis Alpibus Pedemontanam quoque regionem invadit, & inter alia præcipuum ejus loci oppidum Taurinum captum, opere præsidioque munit. Perhibuerunt nonnulli Clementem Pontificem, quo tempore Massiliæ fuit, regi consilium hoc dedisse, ut, si Mediolanum aliquando recuperare vellet, vicinam Sabaudiam atque Taurinos occuparet. Cæsar ubi primum de conatu Regis intellexit, ilicò per Germaniam, aliisque in locis, quantum omninò potest, conscribit exercitum: in Italiam evocat: cum Venetis fœdus facit, qui iisdem legibus se Cæsarem defensuros, quibus defuncto Sfortiæ, operam promiserant, polliciti sunt. Hoc fœdere confirmatus, operâ fratris Ferdinandi peditum equitumque delectus in Germania fieri jubet, impetratq; ab Helvetiis, neutram partem quieti foverent. Scripsit & sorori Mariæ Belgarum Gubernatrici, pedestres equestrisque copias conscribi, opportunoque tempore ab ea parte rem geri curet. Ineunte verè Cæsar Neapoli Romam venit: Româ Serias: inde Florentiam contendit: Florentiâ Lucam: indeque transgresso